

ADRIANVS BARLANDVS LOVANIENSIS PROFESSOR.



Adrianus apud Belgas natus, & in omni genere literarum optimè institutus fuit. Is cum prima artiū rudimenta Gandaui Petro Scoto præceptore feliciter perceperisset, sese hinc inde in Galliam & Germaniam ad celebriora gymnasia cōtulit, atq; in primis Parisijs & Louani plurimū profecit, ita ut ob preclaram eruditōnē omnibus Belgis innotuerit, & Louani inter linguarum professores receptus fuerit. Itaq; Erasmus hūc Adrianū plurimū dilexit, atq; ob eruditōnem & uitāe integritatem omnibus commēdauit. Descripsit Adrianus insigniora oppida inferioris Germaniae: Veterū quoq; ac recentium iocorū aliquot libros conscripsit, atq; Coloniæ 1529 edidit. Christiani hominis institutionem Aphorismis proposuit, atq; compendiosas artis oratoriae institutiones Louani publicauit. Proverbiales etiam uersus ex Vergilio collegit, atq; cætera huiusmodi præstítit quibus ingenij sui monumēta posteritati declarauit, ut meritò hoc loco huius Barlandi mentio facienda fuerit, Con. Lycosth. Eras. in Epist.